

to, quassatis ac prope disjectis vehementi procella navigiis, iter in Cretam flectere est coactus. Ibi ex navibus altera itineri habendo minime idonea inventa, cum ante classis Turcicæ in Cyprum adventum sarciri non posse constaret, magistratus iussum exonerata, omnis subsidiorum spes Tamasso adempta est.

Dum hæc fiunt, ad Castrum rubrum hostium classis universa convenerat, in qua sex supra centum triremes Byzantio egressæ, præter viginti, quæ in Cypro relictae fuerant, adnumerabantur. His ex Ponto quatuor ac viginti, Uluzzalii septem, rostratae duodecim, Leptitanæ duæ, Caracozae longarum una, rostrata altera accedebant; eæ centum ac septuaginta trium summam, absque piraticis, conficiebant, quæ regiae classi belli tempore sese adjungere consuevere, supra sexaginta. Lustrata classe, consilio habito, in Cretam proficiuntur, cum adhuc Quirinus in Cydoniæ portu cum treemibus triginta, Canalius in Candida cum totidem detinerentur. Amphimaleum portum hostes ingressi, Apicornum castellum in litore situm ab oppidanis relictum occupant. Pertus Cydoniam delatus, haud longe ab urbe copias exponit, villas diripit atque incendit, jumenta abigit, accolas capit. At Lucas Michaelius legatus validam militum manum ex oppido emittit, qui, nonnullis ex Canalii triremium militibus sibi adjunctis, hostium impetum fregere. Eodem tempore cum Franciscus Justinianus Genuensis cum octingentis e Cyrno insula militibus opportune applicuisse, ex iis trecentis statim in hostes immisssi, præcipites proripere sese in triremes coegit; fugientes multi cæsi sunt, reliqui Cydonia abscessere. Inde Rhythymnam, urbem nobilitate, divitiis, publicis, privatisque substrictionibus insignem, petiere; Milopotatum oppidum nonnullosque in litore pagos flammis absumpsere; cumque ex captivis cognovissent, cives metu hostium dilapsos, Hieronymum Justinianum Consiliarium cum centum tantum militibus in urbe esse, proprius sese inferre, copiis expositis, statuunt. Justinianus pro tempore, ac necessitate consilium capit; parva cum militum manu, quam apud se habebat, in hostem progreditur, cuius impetum fortiter sustinendo, non absque eorum cæde in penitiora, ac tutiora loca incolumis se recepit.

1571
Venete nra
ves siudidia
in Cyprum
deverbentes
tempestate
jactatae.

Turcicæ
classis ad
Castrum
rubrum, &
ejus nume-
rus.

Turcæ Am-
phimaleum
portum in-
gressi Api-
cornum oc-
cupant.

Turcæ Frâ-
cisci Justi-
niani virtu-
te prestigati
Cydonia
abcedunt.